D U B I U M XIV.

Esto judex laicus non possit fugientes ad Ecclesiam inde abducere, an possit ab eis arma legibus vetita intra Ecclesiam auferre.

1 REspondet Cov. citans aliquos 2. *var. resol. cap.* 20. *nu.* 18. *& Paz. pract.* 1. *tom. p.* 5. *cap.* 3. *nu.* 149. posse quidem. Ratio, quia is qui fert arma vetita intra Ecclesiam, delictum illud in Ecclesia committit; Unde à judice sæculari puniendus, aut saltem armis privandus erit: dicit etiam apud Hispanos usum obtinuisse, ut clerici cum armis ipsis deprehensi à ministris judicis sæcularis armis spolientur, quod justè fieri potest, cum alioquin si à judice sæculari id non fieret, liberam haberent clerici facultatem arma vetita deferendi, & maxima ab his scelera liberiùs perpetrarentur; pœna tamen (inquit citans aliquos) quæ ob talium armorum usum legibus infertur, à clericis exigenda est coram judice Ecclesiastico.

D U B I U M XV.

An ratione delicti fiat peccator subditus judici illius loci, in quo deliquit.

1 PRima conclusio. Quantum ad forum contentiosum homo fit subditus judici loci illius, in quo delictum commisit. Hæc conclusio est certa, & expressè habetur in jure, & in praxi, *cap. significasti, & cap. fin. de foro compet. & l.* 1. *C. ubi de crim. agi oport.* Ratio, quia ibi est necessarium exemplum, & timor, qui sumitur ex delicti punitione, ubi fuit scandalum. Item, quia illi reipublicæ facta est injuria. Item quia meliùs in illo loco examinabitur delictum.

2 Circa hanc conclusionem nota, ex ipsa sequi reum esse remittendum in criminalibus ad locum, ubi delictum admisit, ut ubi judicetur, & puniatur. Sic *cap.* 1. *de raptor. & Clement. Pastoralis, de re judic.* quod intelligitur, quando judex ille id petit, quod si non petat, potest liberè judex domicilii remittere, vel non remittere, & aliqui sunt casus, in quibus etsi petat, non tenetur remittere, quod explicat *Cov. qq. pract. cap.* 11. *n.* 6.

3 Secunda conclusio, in foro conscientiæ, & sacramentali non sortitur quis forum ratione delicti. Unde ob hanc solùm rationem non tenetur, nec potest confiteri parocho illius loci, in quo deliquit, sed proprius illius sacerdos potest illum absolvere à peccatis toto orbe perpetratis. Contra hanc conclusionem tenent aliqui, scilicet *Palud.* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *Host. titul. de pœn.* §. *quid confitendum, vers.* 5. *Angles floribus qq. Theol.* 1. *part. mat. de conf. fol.* 293. asserentes posse quem confiteri illi sacerdoti, in cujus parochia deliquit. Sed nostra conclusio est certa, quia hoc non habetur ex jure divino, nec jus humanum loquitur de foro conscientiæ, & illam tenent *Panorm. capit. cum contingat, de foro compet. glossa capit. placuit* 116. *quæst.* 1. *Nav. cap. placuit, de pœnit. dist.* 6. *numer.* 82. 83. *Sylvest. Confessor.* 1. §. 11. *Covar. qq. pract. cap.* 11. *num.* 3. *Tab. excommunic.* 4. *in fine. Duennas* plures citans, *regula* 278. *limit.* 1. ex communi Doctorum sententia.

D U B I U M XVI.

An exempti ratione delicti sortiantur forum, ita ut subjiciantur illius loci judicibus.

1 NOta primò, quod exemptus dicitur ille, qui potitur exemptione, id est libertate, qua eximitur à jurisdictione, & subjectione ordinarii, ita ut maneat vel soli Papæ subjectus, vel etiam suo Prælato, & sic ad solum Papam propriè pertinet facere exemptos, *cap. cum persona, de privil. in* 6. *Sylv. verbo exemptio*, §. 1.

Secundò nota duplicem esse exemptionem, unam localem, alteram personalem. Personalis est, quando personæ ipsæ per se, & non ratione loci eximuntur à jurisdictione, ut si concedatur Canonicis alicujus Ecclesiæ, quod non possint excommunicari, nec interdici: tunc ipsi solùm manent exempti, & non Ecclesia. Localis est, quando ipsa libertas conceditur alicui loco, ut si hospitali, vel monasterio concedatur, quod non possit interdici: tunc solus locus manet exemptus, personæ verò, quæ in ipso morantur, aliquo modo manent exemptæ, non omninò, & per se, sed ratione loci, id est, quatenus loci libertas exigit, verb. grat. quia locus non potest interdici, personæ manent liberæ ad celebrandum in eo divina officia, *capit. per exemptionem, de privileg. in* 6. *capit. cum capella; de privileg.* ubi notant Doctores, quod exempta capella non manent Capellani exempti in universum, sed quatenus exercent officium in capella. Item in exemptione locali privilegium exempti non extenditur extra locum; quia est reale, secus in personali. *Sylv. quæst.* 3.

2 Circa hoc dubium sunt varii dicendi modi. Quidam dicunt, quod exempti subjiciuntur ratione delicti judici illius loci, in quo delinquunt. Sic simpliciter affirmat *Div. Thom. quæst.* 67. 2. 2. *art.* 1. *ad* 3. & pro hac sententia facit *cap. volentes, de privil. in* 6. ubi dicitur, quod exempti ratione delicti alibi admissi, vel ratione contractus alibi initi, aut ratione rei possessæ, possint coram ordinario illius loci conveniri, quando talis locus non est exemptus, sed extra suum locum exemptum. Sic etiam docent *Abbas, Felinus*, intelligendo hoc caput in universum de omni exemptione, sive ratione loci, sive ratione personæ.

3 Alii verò dicunt, hoc non esse intelligendum de exempto ratione personæ, sed de exempto ratione loci, & de hoc loqui prædictum caput, cum exemptionis privilegium est certo loco circumscriptum. Quod si tamen aliquis ratione personæ eximitur ab ordinariis, non poterit ratione delicti judicari à judice illius loci, in quo deliquit. Sic *Ant. capit. ult. de foro compet.* quem sequitur *Covar. quæst. pract. cap.* 11. *num.* 5. *& Syvest. verb. exemptio, num.* 4. *& qu.* 9. *Angel. eodem verb. n.* 1. Sit.

4 Prima conclusio. Stando in solo jure communi edito *d. capit. volentes*, certum est, quod exemptus ratione solius loci potest judicari ab ordinario ratione delicti, quod extra locum exemptum admisit, vel quando in loco non exempto contractum inivit, vel in tali loco rem possidet, vel res existit. Ita conveniunt Doctores utriusque sententiæ. Item probabile est, stando in eodem jure communi, idem dicendum esse de exemptis per privilegia personalia, ut tenent Doctores primæ sententiæ.

5 Secunda conclusio. Jam ex speciali gratia, & privilegio cum derogatione *dicti capit. volentes* concessum est mendicantibus, & pluribus aliis religionibus, quod omnino sint exemptæ à judicibus ordinariis, ita ut nec ratione delicti, nec ratione rei habitæ extra loca exempta, nec ratione contractus possint judicari ab ordinario. Sic *D. Ant.* 3. *part. q.* 16. *cap.* 9. §. 1. *Cajet.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *Sylv. verb. exemptio, n.* 10. *Nav. cap. non dicatis*, 12. *q.* 1. *n.* 95. *&* 96.

6 Sed circa hanc conclusionem nota duo.

Primò nota, quod licèt judex ordinarius non possit exemptum à sua jurisdictione judicare, nec aliqua censura, nec pœna afficere; si tamen illi non sit nota exemptio, potest examinare exemptionis privilegia, & religiosi, aliique exempti tenentur ea ostendere ordinariis, si privilegia non sint publicata, vel longo tempore præscripta, vel nota ordinariis, quod si exemptus nolit ea ostendere judici, dato ad id congruo loco, & tempore, judex potest procedere contra ipsum, & ejus sententia tenet, & ligat exemptum, *capit. cum persona, de privil. in* 6. at si sunt jam publicata, judici nota, ut privilegia mendicantium, tunc exemptus non tenetur ea ostendere, nec comparere coram Ordinario, nec sententia contra eum lata tenebit *ex Clement. Pastoralis.* Ita *Panorm. cap. cum ordinem, de rescript. num.* 6. *Richard.* 4. *dist.* 18. *D. Ant. ubi sup. in principio, Sylv.* §. 8. *&* 9.

5 Secundò nota, quod dicta conclusio intelligitur, quando privilegia exemptionis non sunt abrogata; nam contingit per leges, ordinationes, aut bullas denuò editas, multa privilegia præterita abrogari, vel in universum, vel in partem, & licèt privilegia ipsa contineant clausulas, quod non possint abrogari, nisi de ipsis fiat mentio, satis est, quod lex derogans dicat, quod derogat privilegia quæcumque, non obstantibus quibuscumque clausulis, &c. quamvis non faciat mentionem in speciali, nec referat de verbo ad verbum; intelliguntur tamen abrogata. Canones de hoc sunt in jure, in quibus non obstantibus privilegiis exempti subjiciuntur ordinariis, quoad aliquos casus, ut *in cap. ad abolendam, de hæret. & gloss. cap.* 1. *de priv.* refert alios duos casus, scilicet quando exempti post vota contrahunt matrimonium, & quando religiosi de proventibus Ecclesiarum parochialium, quorum sunt patroni, non dant sufficiens stipendium Rectoribus earum, sed canones, quos citat, id non explicant.

8 Ultima conclusio. Hoc distat inter exemptos degentes intra, vel extra monasterium, nam degentes intra, super nulla causa possunt conveniri coram ordinariis; degentes verò extra, in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum possunt coram ordinariis conveniri, ut dicitur *Concil. Trident. sess.* 7. *cap.* 14. Item degentes intra non possunt puniri propter delicta ab ordinario, nisi quando extra monasterium cum populi scandalo delinquunt, & non puniuntur à suis Prælatis monitis ab ordinariis, ut id faciant, ut docet *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 14. degentes verò extra possunt puniri ab ordinario, propter sua delicta, ut à contrario sensu colligitur ex *Conc. Trid. ex eodem loco.* Ita docet *Navar. loco citato*, ex quo infert, vicarium cujusdam Episcopi non potuisse cognoscere de quodam censu, qui petebatur à quadam religione habente exemptionem cum derogatione *cap. volentes.*

9 An verò exempti, ut Religiosi, & alii possint subjici judicio ordinariorum, dixi latè *lib.* 4. *sum. t.* 39. *per totum.*

D U-

D U B I U M XVII.

An judici liceat judicare contra veritatem, quam novit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur.

1 NOta dupliciter posse contingere probationes esse contra veritatem notam à judice, vel quando reus verè fecit delictum notum à judice, tamen ex legitimis probationibus apparet innocens, & tunc omnes conveniunt non licere judici damnare reum propter veritatem à se cognitam. Alio modo, quando judex verè scit aliquem innocentem esse, & tamen legitimè probatur testibus nocentem esse, & hoc vertitur in dubium, an possit, & teneatur illum damnare: variæ sunt sententiæ.

2 Prima sententia tenet, in illo casu, nec in ulla causa civili, vel criminali, licere judici talem damnare, sed teneri ipsum absolvere, vel cessare à judicando. Ita *Hugo l. prætor, ff. de jurisd. omnium jud. Panorm. & Calder. c. pastoralis, de offic. deleg. Angel. verb. judicare, num.* 7. *Lyra Exodi* 23. *Arbor. lib.* 9. *Theosoph. c.* 20. & alii, quos *Covarr.* refert.

3 Secunda sententia est, quod in causis civilibus benè potest judex juxta probata judicare, non tamen in causis criminalibus. Ita *Adrian. in quodlib. q.* 6. *art.* 3. *Imola*, & alii jurisperiti, *l. à Divo Pio, ff. de re jud. Host. Innoc. Felin. d. c. pastoralis.*

4 Rationes, quibus utraque fulcitur opinio, sunt: prima, judicare contra veritatem est contra jus naturale, & divinum: ergo non licet. Item utilius nasci scandalum permittitur, quàm veritas relinquatur, *c. qui scandalizaverit, de regul. jur. in* 6. Item probationes juridicæ ordinantur ad hunc finem, scilicet veritatem manifestandam: ergo si ad falsitatem inducunt, non sunt admittendæ. Pro secunda opinione est ratio peculiaris *Adriani*, quia nullus homo est dominus vitæ, & membrorum: ergo ex consensu, & auctoritate reipublicæ non potest judex habere auctoritatem ad damnandum innocentem in criminalibus, propter probationes in contrarium inductas, quia non potuit transferre in rempublicam dominium, seu potestatem, quam in se non habebat: at verò in civilibus quia homo est dominus bonorum, potuit talem auctoritatem tribuere. Et in hoc sensu intelligitur *c. pastoralis, de offic. deleg.* ubi dicitur, quod judex exequatur sententiam delegati contra innocentem, non in criminalibus, quod esset injustum, sed in civilibus: sic exponunt hoc *c. Panorm. Felin. Alciat. Anchar.* & alii.

5 Alia opinio est, benè posse, & teneri judicem judicium ferre, & damnare contra veritatem à se cognitam innocentem, qui juxta allegata, & probata nocens est, quando non potest medium juridicum invenire, quo se possit secundum leges excusare. Probatur ratione Divi *Thom.* 2. 2. *qu.* 68. *art.* 2. scilicet, quia cùm judex sit persona publica, & potestas, qua judicat, sit publica, debet sequi in judicando scientiam publicam, & non privatam, id est, quod sibi innotescit tamquam judici per media jure, & legibus constituta, & approbata. Item, quia contra leges non admittitur probatio in contrarium ergo nec contra probationes legitimas admitti debet notitia particularis contraria. Sunt etiam aliæ rationes, quas afferunt Doctores citandi. Ita *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 67. *art.* 2. *& Cajet. ibi, Sazedo in addit. ad Bernard. Diaz, regul.* 377. *Matienzo dialogo relat.* 3. *part. c.* 42. *Pinel. l.* 2. *C. de rescind. vendit.* 3. *part. capite tertio, num.* 33. *Julius Clarus pract. crimin. lib.* 5. §. *fin. q.* 66. *n. tertio, Gratian. in regul. juris, regula* 254. *initio*, licèt *num.* 11. hoc limitet, & dicat esse verum ad absolvendum, non tamen ad damnandum innocentem. *Turrecrem. c. judicet*, 3. *qu.* 7. *num.* 1. *Ricard. quodlib.* 3. *qu.* 25. *&* 4. *dist.* 18. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 1. *Henricus* 3. *quodlib. q.* 26. *Alensis* 3. *p. qu.* 40. *membro* 6. *art.* 2. *& qu.* 34. *memb.* 1. *art.* 4. *Tabien. verbo judicare, num.* 5. *Sylvest. judex* 2. *qu.* 5. *Armil. verbo judex, n.* 6. *Abulens. c.* 23. *Exod. qu.* 6. *&* 2. *Paralip. qu.* 43. *D. Anton.* 3. *part. tit.* 9. *c.* 2. §. 6. *& c.* 5. §. 2. *Viguer. lib. instit. c.* 5. §. 2. *vers.* 3. *Corduba lib.* 1. *quæst.* 37. *Major.* 3. *dist.* 33. *quæst.* 4. *Sotus lib.* 5. *de just. qu.* 4. *art.* 2. *Covarr. lib.* 1. *var. resol. c.* 1. *à num.* 4. per plures glossas *c.* 1. *de offic. ordin. & dicto c. judicet*; & plures utriusque juris Doctores, quos refert *Cov. n.* 6. *Navarr. c. si quis autem, de pœnit. dist.* 5. *n.* 128. *& in summa, c.* 25. *num.* 9. *&* 10. *Perez lib.* 5. *ordin. tit.* 2. *fol.* 107.

6 Verum licèt auctores hujus tertiæ opinionis, quæ communior est, in hoc conveniant, tamen differunt in remediis, quibus uti debet judex antequam ad sententiæ prolationem veniat. Quidam dicunt, quod si potest, tenetur renunciare officium, quando non sufficeret ad liberandum examinare diligentiùs testes, nec ad superiorem remittere: verùm si renunciare non possit, potest, & tenetur secundùm probata judicare. Ita *Sylvest. ubi suprà.*

7 Alii dicunt, quod in eo casu, si judex habet superiorem, debet coram populo jurare, sibi constare de opposito, & ideò velle illam causam remittere ad superiorem, & similiter coram ipso superiori debere jurare veritatem, quam novit, ut sic liberet innocentem. Ita *Cajet.* 2. *qu.* 67. *art.* 2.

8 Alii dicunt debere remittere causam superiori judici, & si hoc non potest, non peccare damnando. Ita *D. Th.* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *Tabien. verb. judicare, numero* 5. & intelligitur in hoc *D. Thomas* (ut explicat *Cajet. ubi suprà*,) non quod remittat, & tradat reum convictum superiori judici; id enim esset morti exponere, sed quod se exoneret negotio, si potest, reliquendo coram aliis, ut si volunt, recurrant ad superiorem.

9 Alii dicunt, nec teneri judicem cedere officio, nec etiam ad superiorem remittere, quia habet judex potestatem terminandi causam, & sic si non potest aperire falsitatem probationis, potest eum damnare, quamvis non teneatur remittere; debet tamen id facere, quando reus esset persona insignis, & delictum infame. Sic *Sotus, Covar. ubi suprà à n.* 9.

10 Sit tamen prima conclusio. Quando negotium innocentis agitur extra judicium, ut contingit in distribuendis officiis, & oneribus, in conferendis beneficiis, dispensationibus, ordinibus, & aliis hujusmodi, quæ arbitrio, & prudentiæ judicis committantur, non tenetur probata sequi, sed veritatem, quam ipse certo novit Ratio, quia in his rebus non constringitur à legibus sequi probationes. *Sylv. ubi suprà*, dicens id esse apud omnes certum, & quidam juniores docti.

11 Secunda conclusio. Princeps supremus, qui potestatem habet leges condendi, & conditas derogandi poterit sententiam dicere juxta propriam, & privatam sententiam, tametsi contrarium in judicio probatum sit. Ratio, quia legislatos non ligatur suis legibus, & ita potest hac potestate uti. Ita *Bart. Albericus, Felinus, Cynus*, quos refert, & sequitur *Covarr. libro primo variar. capite* 1. *num.* 7. *in fine, Corduba lib.* 1. *q. q.* 37. *in fine.* Adverte tamen hoc citra scandalum fieri debere; quare Princeps publicè coram populo propriam sententiam manifestare debet, quo populo satisfaciat, ut notant *Cajet.* 2. 2. *qu.* 67. *art.* 2. *Sotus, Covarr. & Corduba ubi suprà.* Immò *Oroscius l. illicitas*, §. *veritas, ff. de offic. præsid. n.* 12. *& infra*, dicit idem esse in Senatoribus Principum, sed ipsum reprobant *Matienzo, & Gratian. ubi suprà*, quia hi non possunt leges derogare. Addunt autem *Covarr.* & *Cordub.* Principem hac in specie æquissimè facere, si reum juxta ipsius Principis scientiam, innocentem tamen, juxta allegata, immunem à pœna judicaverit, nisi delictum ita atrox, vel reipublicæ perniciosum esset, ut maximè bono communi expediret ejus auctorem publicè punire.

12 Tertia conclusio. Judex inferior antequam secundùm probata judicet eum, quem certò novit esse innocentem, tenetur media, & cautelas commodas adhibere, ut sic defendat illum, v. g. suo ingenio juvare, ut iterum, & exactiùs examinando testes, & instrumenta, interrogando de tempore, loco, & forma, ut vel sic testium falsitatem deprehendat. Ita omnes Doctores pro tertia sententia citati; in hoc enim omnes conveniunt, ut notat *Corduba dict. qu. in principio.*

13 Quarta conclusio. Si per remissionem talis innocentis ad judicem superiorem probabile esset eum à morte liberandum esse, probabilius est teneri judicem remittere. Ratio, quia licèt officium judicis ad id non obliget, verùm ex communi charitatis lege tenetur, quis quando citra suum magnum detrimentum potest proximum à morte liberare: sed hoc potest judex in hoc casu: ergo. Sic *Sylvest. ubi suprà, Corduba d. quæst.* 37. *vers. ex hac opinione sequuntur*, & innuunt valde *D. Th. Alens. & Tabien. Cajet. ubi suprà*, & tenet etiam *Innocent.* cum multis aliis, quos refert *Panorm. c. pastoralis, de offic. deleg.* idem tenent *Viguer. ubi suprà.*

14 Quinta conclusio. Quando prædicta media non sufficerent, non tenentur judices renunciare officium, ut vitent damnationem talis innocentis. Ratio, quia cùm quis patitur damnum ex malitia alterius, non tenemur cum tanta jactura propria illum liberare, sicut si per se esset necessarium. Ita contra *Sylvestrum* tenet *Sotus, & Cajet. ubi suprà Corduba d. q.* 37. *versic. secundò corollariè sequitur.*

15 Ultima conclusio. Quando dicta media nihil prosunt, non tantùm potest, verùm etiam tenetur judex inferior sententiam ferre juxta allegata, & probata, quidquid in contrarium privatus sciat. Hæc conclusio est tertiæ opinionis, patet ejus rationibus, quas omnes unà cum argumentorum solutione invenies in *Cajetano, Soto, & Corduba*; consule ibi *Covarr. ubi suprà, n.* 9. *Viguer suprà.*

16 Nota tamen circa hanc conclusionem, *Guidonem* (ut refert *Covarr.*) asserere supremos Senatores, qui regis prætoris assistunt, non teneri judicare secundùm probata, quando privata scientia oppositum norunt. Sed meliùs *Covarr. ubi suprà, n.* 7. *vers. tertium*, oppositum docet, quia hi judices nullam habent à principe potestatem derogandi legibus.

DU-

DUBIUM XVIII.

Utrum sicut judex, ita & minister possit exequi sententiam contra veritatem sibi cognitam.

1 DUo in hac re certa sunt. Primum est, ubi sententia notoriam iniquitatem, vel intolerabilem errorem habet, non tenetur, immo nec potest exequutor exequi. Notoriam (inquit) non tantùm sibi, sed etiam aliis. Ratio. quia præcipit judex rem apertè injustam, & nulla potest excusatio fingi. Patet ex *c. pastoralis*, §. *quia verò, de offic. judic. deleg. & c. inter cæteras, de judic.* Ita *D. Thom. suprà, quæst.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *Cajet.* 2. 2. *q.* 67. *artic.* 2. *sub finem. & vers. judex* 2. *qu.* 6. *Tabiena verb. judicare, num.* 6. *Angel. ibi, num.* 8. *Armil. verb. judex; num.* 37. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 9. *c.* 2. §. 7. *Navarr. c.* 25. *num.* 14. *Cordub. lib. Anton.* 3. *p. tertio corollario, Alensis* 3. *p. qu.* 34. *membr.* 1. *art.* 1. *qu.* 37. §. *tertio corollario, Alensis* 3. *p. qu.* 34. *membr.* 1. *art.* 4. *Richard. quodlib.* 3. *qu.* 25. *Covarr. lib.* 1. *var. c.* 1. *num.* 10. referens plures.

2 Secundò certum est, quod ubi dubius esset minister de justitia sententiæ, tenetur eam exequi. Ratio, quia in dubio parendum est superiori, *c. quid ergo*, 21. *quæst.* 3. *c. quid culpatur*, 23. *quæst.* 1. Item, quia ministri non est discutere justitiam sententiæ, sed merè exequi. Ita ferè omnes citati.

3 At in duobus versatur difficultas. Primum est, an cùm judex juxta allegata, & probata sententiam protulit adversùs eum, quem minister scit innocentem, tenetur minister sententiam exequi? Duplex est sententia.

Prima dicit, nec teneri, nec posse exequi, fundatur in rationibus, quibus probatur judicem non posse damnare innocentem, si probetur legitimè esse reum. Ita *Angel. ubi suprà*, & aliqui quos refert *Sylv.* & idem *D. Anton.* innuit *ubi suprà*.

4 Secunda sententia ait, posse, & teneri exequi, quando non potest commodè de executione calis sententiæ. Ratio, quia judex in hoc casu justè præcipit, nec obest scientia privata ministri, quia sententia ferenda est juxta probata, non obstante notitia privata oppositi. Ita *Sylvest. Cajet. Cordubæ, Alens. Richard. Armill. ubi suprà*, & hæc sententia tenenda est, juxta tertiam sententiam, quam *sub. præced. defendimus*.

5 Secundum, in quo est dubium, an cùm minister certus est, quod sententia est injusta, non tamen hoc est aliis notorium, sed ipse solus scit, teneatur eam exequi. Ratio dubitandi est, quia *d. c. pastoralis*, §. *quia verò*, sic habetur. *Si delegatus jubeat ordinario, ut sententiam exequatur, tenetur illam exequi, licet sciat esse injustam, si ab executione excusare se non possit*. Triplex est sententia.

Prima dicit, quòd si sententiæ iniquitas soli exequutor nota, & certa sit, potest eam exequi, quando commodè se excusare non potest; nisi officio cedat: patet ex *d. c. pastoralis*. Item, quia exequutor tantùm utitur ministerialis potestate & potestate publica nota. Item quia sententia judicis licèt injusta, dum tamen injustitia non est in se manifesta, licèt mihi manifesta sit, nec intolerabilem errorem continet, valida est, ut benè docet *Soto lib.* 5. *de just. qu.* 7. *art.* 4. *ad* 2. *Cajet.* 2. 2. *qu.* 70. *art.* 4. *ad* 2. ergo minister, cujus sententiam validam est exequi, ad id tenetur, quando se excusare non potest: non est enim suum injustiam discutere. Ita tenent *Cajet. Cordubæ ubi suprà, Covarr. lib.* 1. *variar. c.* 10. Idem tenent apertè glossa *d. c. pastoralis, versic. & si sciat, Navarr. ubi suprà, num.* 14. & 15. dicunt enim, quod si sententia est injusta, at valida, tenetur minister exequi: at verò si taliter est injusta, ut si nulla (explicat *Navarr.* quia continet notoriam inquitatem, vel intolerabilem errorem) non tenetur exequi. Eamdem sententiam apertè innuunt *D. Thom. & Tabiena. Rich. ubi suprà*; nam solùm dicunt ministrum tunc non teneri exequi sententiam, quando manifestam injustitiam, vel errorem intolerabilem continet, & hanc sententiam latius probat *Covarr.*

6 Secunda sententia tenet, ministrum teneri exequi sententiam injustam, quæ valida est, & in causis civilibus, secus in criminalibus. Ita *Panorm. c. pastoralis*, §. *quia verò num.* 2. referens *Innocentium*.

7 Tertia sententia absolutè dicit, non licere ministro exequi sententiam, quam novit certò injustam esse. Ratio, quia superiori injustum præcipienti obtemperandum non est. Ita *Sylvest. ubi suprà, Felin. & Alciat.* quos refert *Cov.* Ex his sententiis, prima ut communior, & expressa *dicta c. pastoralis*, est amplectenda.

DUBIUM XIX.

An cùm judex certò novit aliquem esse innocentem, qui tamen juxta allegata, & probata nocens est, possit illi occultè januas carceris aperire, ut sic, ipsum à morte eripiat.

1 REspondetur utique licere, si id absque scandalo fieri possit: quia nulli injuria irrogatur, si quidem ille verè innocens est. Ita *Soto libro* 5. *de just. qu.* 4. *art.* 2. *vers. secunda conclusio, Alensis* 3. *p. qu.* 35. *membr.* 1. *art.* 3. *ad* 1. *Cordubæ libro* 1. *q.* 37. *vers. ex hac opinione*.

DUBIUM XX.

An possit judex aliquem condemnare, si accusator non sit.

1 REspondetur, in criminalibus non posse. Ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. Ratio, quia judex est justitia animata: justitia autem est inter duos: ergo ut judex condemnet, oportet ut interveniant duo, quorum alter sit actor, alter verò reus. Hæc *D. Thom. loc. cit.*

4 Nota tamen primò, quod licèt prædicta *D. Thom.* ratio de causis criminalibus tantùm loquatur: at idem sentit, & probat etiam in causis civilibus, sed quia in illis est evidentius, quia petitur bonorum restitutio, quæ ab aliquo peti debet; ideò exemplum posuit in criminalibus, ubi major erat dubitandi ratio. Ita *Cajet.* 22. *q.* 67. *art.* 3. *Sotus lib.* 5. *de just. qu.* 4. *art.* 3.

3 Secundò nota, ex hoc, quod absque accusatore procedi non possit, non esse de jure naturæ, sed de jure humano, est tamen valdè consonum juri naturali, & divino, ita præcipitur *cap. si legitimus, de accusat. & l. illicitas, ff. de offic. præsid.* ita *Sotus ubi suprà*, latiùs probans.

4 Tertiò nota, quod etsi accusator, sit necessarius ad puniendum in judicio, non tamen ad punitionem, quæ via correctionis, & extra judicium fit; quare parentes filios, & domini servos punire possunt communibus supplicis, absque accusatore quia illa ordinantur ad delinquentis emendam, & non justitiam vindicativam; & satisfactionem partis, & Reipublicæ. Idem etiam est in Prælatis Religiosorum in delictis minoris momenti, quæ tamquam patres castigant, secus in gravioribus, ubi carceribus opus esset. Ita *Sotus ubi suprà*, & docti juniores. Idem docet *Sotus*, posse fieri à judicibus sæcularibus in levioribus, ut patet *l. levia, ff. de accus.* ubi levia audire, & discutere de plano jubentur; secus tamen esset, ubi carceribus opus esset.

5 Quartò nota, aliqua esse præter hominem, cujus proprium est accusare, vicem accusatoris habentia, quæ refert *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. *ad* 2. ubi & *Cajet. Sotus ubi suprà, ad* 3. & docti recentiores, quæ quidem sunt quatuor. Primùm notorietas criminis: patet ex *cap. evidentia, de accus. & c. manifesta*, 2. *qu.* 1. Secundùm est infamia delicti, non quidem quod hæc sit sufficiens ad reum puniendum; sed est ad inquirendum contra ipsum absque alio accusatore. *Sotus* idem dicit de judiciis, quod de infamia, sed fallitur ut *infrà, in cap. de inquisitione*, videbitur. Tertium est denunciatio canonica, quæ fit ad evitanda damna, qualis est, ca, quæ Inquisitoribus fit. Quartùm cùm via correctionis fraternæ proceditur, & reus evangelica denunciatione denunciatur Prælato ad emendam, & ab illo correctus fuerit rebellis, tunc rebellio accusatoris vicem gerit, ut possit Prælatus absque alio accusatore talem reum punire, ut *infrà, cap. de denunciatione*, patebit.

DUBIUM XXI.

An judex possit dispensare in pœna per legem statuta, illam totaliter remittendo, vel augendo, vel minuendo.

1 NOta, quod pœna aliquando est taxata in lege, aliquando vero non, sed committitur arbitrio judicis, & tunc dicitur arbitraria. Secundò nota ex duplici causa posse evenire, ut remittatur pœna legis, scilicet vel ex sola voluntate, & indulgentia judicis, vel ex aliqua causa justa, aut circumstantia, quæ delictum ipsum minuit.

2 Sit prima conclusio. Totaliter pœnam legis remittere nullo modo licet judicibus inferioribus. Ratio, quia cùm sint legibus subjecti, non possunt in illis dispensare: at illæ cogunt judices, ut pœnas exequantur. Item, quia injuriam irrogant parti læsæ, & licèt pars læsa non sit, irrogant reipublicæ injuriam; datur enim ansa delicta perpetrandi. Ita *D. Th.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *Sotus lib.* 5. *de just. qu.* 4. *art.* 4. *Castro lib.* 2. *de lege pœn. cap.* 13. *conclus.* 1. *Sylvest. judex* 1. *qu.* 11. *Armil. ibi, n.* 31. *Tab. verb. Dominus; num.* 10. *Host.* quem refert, ac sequitur *D. Ant.* 3. *p. tit.* 9. *cap.* 2. §. 5. *Turrecr. cap. omnis, dist.* 45. *n.* 4. & docti recentiores.

3 Secunda conclusio. Judex supremus, ut Rex, potest totam remittere pœnam, non tamen pro libito suo, sed quando pars læsa remittit, & inde damnum non sequitur Reipublicæ. Ratio, quia cùm sit legislator, potest ex causa justa in lege dispensare. Ita omnes Doctores citati, *Navarr. cap.* 25. *num.* 14. *Castro, d. lib.* 2. *c.* 12. §. *contra hanc secundam, Felin. cap. qualiter*, §. *ad corrigendos, de accusat.* & præfati recentiores.

4 Circa hanc conclusionem nota primò ex *Sylvest.* & *Castro ibi*, quod pœna aliquando posita est pro solo bono communi, & tunc sine consensu alicujus posset Princeps remittere, modò damnum non sequeretur inde bono communi. Aliquando imponitur pro bono communi, & etiam privato alicujus, & tunc non fat est ad remittendum non sequi damnum bono communi, sed oportet etiam, ut injuriam passus consentiat tali remissioni. Idem docti juniores.

5 Secundò nota, quod tunc potest judex supremus remittere pœnam, consentiente læso, quando reus unum tantùm delictum ex fragilitate commisit, non multùm atrox, nec cum gravi scandalo: tunc enim, si aliquando fiat, & rarò, non sequitur nocumentum Reipublicæ, si verò esset homo scelerosus, ut insignis latro publicus, &c. non liceret. Ita *Sotus ubi sup.* & *Cajet. in summa, verb. judicis peccata*, dicit mortale peccatum contrahere Regem, qui hunc à pœna eximeret, & *Navar. ubi supra*, dicit gravissimè peccare. Idem præfati juniores.

6 Tertiò nota, quod etiamsi pars læsa non remittat, potest judex supremus in aliquo casu rarò relaxare pœnam reo, quando esset homo nimis necessarius bono publica. Ita *Castr. Sotus, Sylvest. Armil. Navar. ibi*, & prædicti juniores.

7 Tertia conclusio. Judex inferiorum potest pœnam à lege determinatam absque causa justa minuere, vel augere. Patet rationibus primæ conclusionis, & in hac conveniunt Doctores omnes citandi.

8 Dubium tamen est, an ex causa possit talem pœnam aliquando minuere. Duplex est sententia.

Prima tenet non posse etiam ex justa causa, nisi quando crimen, ob quod incurritur, tale est, ut super ipso liceat judici inferiori dispensare. Ita *gloss. cap. de pœnis, Innocent. Joan. Andr. Anto. Ant. ibi, Hanricus cap. in Archiepisc. de raptorib. Felin. d. cap. qualiter, n.* 33. *Sylvest. judex* 1. *quæst.* 11. *Angel. verb. pœna, num.* 18. In hanc videtur inclinare *Greg. Lopez lib.* 8. *tit.* 31. *part.* 2. *vers. libre*.

9 Secunda sententia oppositum tenet.

10 Quarta conclusio. Probabilius est posse judicem inferiorem ex causa justa pœnam per legem taxatam temperare, patet *l. quid ergo*, §. *pœna gravior, ff. de his qui notant. infam. l. & si feverior, & l. si possidonium, C. ex quibus causis infrog. infam.* Idem tenuit *part.* 7. *tit.* 31. *lib.* 8. *in fine, Host.* quem refert, ac sequitur *Turrecr. ubi supra, nu.* 6. *Castro d. lib.* 2. *c.* 13. *concl.* 2. *Tabiena ubi sup. Simanch. lib. instit. titul.* 46. *num.* 79. *Perez lib.* 8. *ordin. tit.* 16. *lib.* 9. *& lib.* 3. *tit.* 1. *l.* 3. *pag.* 786. *Avilles cap.* 2. *Pratorum, vers. dedecrechamente. Cov. lib.* 2. *var. c.* 9. *num.* 8. plures referens. Idem tenent docti recentiores Magistri.

11 Nota, hic plures esse causas, ob quas potest temperari pœna delicto præfixa. Prima est ætas, ut pueritia, vel auxilium, §. *in deliciis, ff. de minor.* Item senectus *l. divus, ff. de termino moto.* Secunda causa est paupertas, quando pœna est pecuniaria, *l. illicitas*, §. *ult. ff. de offic. præsid.* Tertia est doli defectus; quia scilicet non ex deliberatione, nec consilio, sed subita animi passione, vel dolore commissum est delictum *l. absentem*, §. *ult. ff. de pœnis*. Quarta est consuetudo, quæ non sit mala, & legitimè præscripta, *c. cùm contingat, de foro compet. & cap. inquisitionis, de accus.* Quinta est, si judex, qui pœnam infligere debet, non habet potestatem infligendi pœnam legis, ut si quis commisisset delictum morte dignum, & judex sit in sacris constitutus, cui est prohibitum morte damnare, *c. in Archiepiscopatu, de raptor.* Has causas recenset, & latiùs probat *Castrus d. cap.* 13. *post secundam conclusionem*. Sexta causa est, quando meritò speratur ex diminutione pœnæ correctio, & emenda delinquentis, præsertim si pœnæ correctio, & emenda delinquentis, præsertim si pœnæ mortis plecti debet. Ita *Castr. ibi, concl.* 2. & §. *alias causas*. Septima causa est, si post delictum commissum transiit aliquod magnum intervallum vel tempus, *l. si dintino, ff. de pœnis*. Ita *Perez. lib.* 3. *ordin. tit.* 1. *l.* 1. *pag.* 735. *Antonius Gomez tom.* 3. *var. c.* 1. *numero* 8. citans *Bart. Alber. Salicet. Bald. Panorm.* & alios; limitat tamen, nisi fuisset accusatus, & propter ejus absentiam non potuit pœna imponi. Octava est, quando accusatus fatetur statim sponte crimen, & non metu probationum: tunc enim pœna minui debet, nisi animæ, vel Ecclesiæ periculum immineret, *Sylvest. D. Ant. ubi supra, Armil. verb. judex, num.* 23. *Turrecr. cap. omnis, dist.* 45. *num.* 6. Tandem pœnam minuendi causa est quævis circumstantia, ex qua delictum levius redditur, quia cùm pœna propter delictum incurratur, si hoc decrescit, & illa decrescere debet. Ita *Perez. lib.* 8. *titul.* 26. *l.* 9.

12 Secundo nota, has causas tunc tantùm esse justas ad minuendam pœnam legis, quando lex ipsa non prohiberet nullam aliam debere pœnam imponi, aut manifesta prohibitione non prohiberet pœnam mutari, prout dicitur *cap. super eo, de raptor.* tunc enim non liceret transgredi pœnam mutando, ita *Castrus dict. vers. alias causas*.

13 Quinta conclusio. Benè potest etiam judex inferior pœnam legis augere ex causa justa, ut si multi essent publici latrones, vel multa homicidia, & opus esset exemplo. Ita habetur *part.* 7. *tit.* 31. *l.* 8. *in fine, & ibi Gregorius Lopez. vers. guisado. Sylvest. Navarr. Turrecr. D. Anton. ubi supra, Armil. verb. judex, num.* 33. *Covarr.* plurens referens *ubi supra*.

14 Sexta conclusio. Quando pœna non est per legem præscripta, sed arbitrio judicis committitur, tunc potest judex pœnam temperare, prout qualitas, & circumstantia delicti patitur, & in misericordiam potùs protendere debet, *l. recipiendum, ff. de pœnis*. Ita *Sylvest. Turrecr. num.* 5. *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. *ad* 1. *Castrus d. lib.* 2. *cap.* 12. *conclus.* 3. Nota tamen, quod licèt possit tunc judex pœnam minuere, non tamen potest omnem pœnam remittere; quia etsi lex judicis arbitrio committat pœnæ qualitatem, & quantitatem; tamen illi liberum relinquit, ut non puniat. Idem tenent docti recentiores Magistri.

15 Hinc dubitari potest, an quando pœna est arbitraria, possit judex pœna mortis damnare. *Perez. lib.* 8. *ordinam. tit.* 9. *l.* 48. tenet cum aliis, quos refert, partem affirmantem, & dicit se vidisse plus quàm semel hoc ita practicari. Contrarium tamen tenet *Simanch. lib. instit. tit.* 46. *n.* 8. & *ibi* latè probat, consule ipsos.

DUBIUM XXII.

An ii, qui apud judices intercedunt, ut pœnas legis remittant delinquenti, peccent.

1 HÆc quæstio ex præcedenti pendet: nam casu, quo judex peccaret remittendo, manifestum est intercedentem pro remissione etiam peccare: nam qui sic rogat, apertè consentit facto, & consulit; casu verò, quo judex non peccat, manifestum est licere intercedere. Ratio autem dubitandi est, quia multi viri sancti intercedebant pro reis. Sit

2 Prima conclusio. Nullus potest apud judicem intercedere, ut tota pœna remittatur reo, nisi fortè pars læsa rogaret pro eo, qui illam fecit, non ut impunitus evadat, sed ut hac ratione ostendat charitatem, quam habet, ut vel sic erubescat esse inimicus. Patet primò, quia judici non licet totam remittere pœnam, ut dixi *dub. præced.* Ita *Castrus lib.* 2. *de lege pœn. c.* 14. *concl.* 2. & docti juniores.

3 Secunda conclusio. Quando meritò speratur de hominis emenda, qui crimen commisit, licet eam spem habenti pro illo apud judicem intercedere, ut pœnam legis temperet, & similiter quando est illa causa justa ad minuendam pœnam. Ratio, quia tum judici licet pœnam minuere, ut dixi. Ita *Castr. ibi, concl.* 1. & docti juniores.

4 Tertia conclusio. Quando nulla est causa justa ad minuendam pœnam, vel lex specialiter pœnæ mutationem prohibet, non licet id petere à judice. Ratio, quia non licet judici tunc minuere, ut dixit *Castrus ibi*, & §. *alias causas, concl.* 3.

5 Quarta conclusio. Quando ex remissione, vel mutatione pœnæ sequitur damnum, vel injuria parti læsæ, vel fit contra jus alicui debitum, tunc non licet intercedere apud judicem, ut pœna justè debita remittatur. vel minuatur. Ratio, quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona: malum autem est violare jus proximi contra ejus voluntatem. Ita *Castr. ubi supra concl.* 4. Hæ conclusiones, & rationes sunt desumptæ ex *D. August. in aliquibus locis*, præsertim *epist.* 54. ad Macedonium, quia illa objiciebat facere contra jus, dum pro impiis fundebat apud judices preces.

DUBIUM XXIII.

An judex post sententiam latam, qua pœna aliqua damnavit reum, possit pœnam illam minuere.

1 REspondetur negativè, sive pœna illa esset taxata per legem, sive arbitraria. Ratio, quia jam officio suo functus est, *l. quod justis, ff. de re judic.* tradit *Bart. l.* 1. *in princ. num.* 14. *ff. si quis jus dicenti, & ibi Jason Card. & Panorm. c.* 3. *de pœnis, Covarr. lib.* 2. *var. c.* 9. *n.* 9. *Castr. lib.* 2. *de lege pœnal. cap.* 12. *vers. tertia conclusio*, & docti juniores. Sed nota tria.

2 Primum est, hoc deficere in crimine hæresis, in quo hoc speciale est, ut etiam pœnam per sententiam impositam possit judex minuere, *cap. ut commissi*, §. *ult. de hæretic. in* 6. Notat *Castrus ibi, glossa vers. mutandi, Armil. verbo judex, num.* 16. & docti juniores.

3 Secundum est, quod de jure hujus Regni (licèt aliud esset de jure communi) si judex damnavit aliquem pœna pecu-

pecuniaria Cameræ Regis applicanda, potest sententiam mutare, & pœnam tollere, si reus damnatus esset adeo pauper, ut solvendo non esset: ita disponit *l. 4. titul. 22. part. 3.* & notat *ibi Greg. Lopez. vers. pœna*, in hoc corrigi jus commune. Idem notat *Perez. lib. 8. ordinam. tit. 16. lib. 9. Avendanno de exequend. mand. Regum, c. 3. nu. 11.* ubi dicit hoc procedere, licet pœna sit lege statuta, contra *Gregor. Lopez, vers. pœna*, docentem oppositum, & dicit tantùm, quando pœna applicatur Regi: sed *Greg. Lopez vers. mayor-mente*, dicit etiam, quando applicatur operibus publicis, vel aliis, quia lex dicit, *maximè quando Cœgi, Aviles cap. 1. Prator. vers. derechamente.*

4 Tertium est, si judex (ut plerumque fieri solet) aliquem ob crimen pœna pecuniaria damnarit, hoc addito, quod si eam intra id tempus non solverit, quod præfigit in sententia, publicè flagelletur, nihilominus potest judex non soluta pecunia, intra eum diem, pœnam eamdem pecuniariam, omissa corporali, exequutioni mandare; nam is judex in tali sententia, verè pecuniaria pœna delinquentem punit: utitur tamen corporalis pœnæ comminatione, ut facilius, & diligentius pecuniam reus solvat. Ita *Coneus lib. 3. consil. 5. Covarr. num. 8.* & docti recentiores Magistri.

DUBIUM XXIV.

An judex inferior possit mutare, vel interpretari sententiam, quam semel tulit.

1 SIt prima conclusio. Sententiam interloquutoriam potest quivis judex mutare, *cap. qualiter 1. de accuf. l. 2. tit. 22. p. 3. Panorm.* quem refert, ac sequitur *Armil. verb. judex, num. 16. Tabien. ibi, num. 23. Ang. num. 25. Bart. & Jason l. judex postquam, & l. si judex, C. de sentent. & re judic.* Idem *Greg. Lopez. d. l. 2. vers. no puede*, ubi dicit, quod licet variæ extiterint sententiæ, de qua interloquutoria hoc intelligatur: at verius est intelligi de quacumque. Contrarium in interloquutoria vicem definitivæ habente tenet *Laurias de attent. 2. p. c. 11. limit. 1. numero 33. Francus c. cùm cessante, de appellat.* non potest tamen revocare interloquutoriam, quando appellationi detulit, ut dixi *super. libro 3. dubio 32.* Nec potest etiam quando ab interlocutoria est appellatum, & judex à quo est inhibitus per judicem ad quem, ut *ibid.* dixi. Nec potest etiam post decem dies sine licentia ejus, pro quo data est: nec quando appellatus fecit expensas, nisi priùs reficiantur: Hæc *Innocent.* ut refert, & sequitur *Sylvest. verb. appellatio, quæst. 6. Tabien. ibi. quæst. 15. num. 18. D. Anton. 3. p. tit. 9. c. 14. §. 2.*

2 Secunda conclusio: Sententiam diffinitivam semel à se latam non potest judex mutare. Ratio, quia functus est jam officio suo, *l. judex, ff. de re judic., c. in litteris, de offic. deleg. l. 3. titul. 22. p. 3.* ubi *Gregor. Lopez. vers. toller, Tabien. Angel. Armill. ubi supra, Sylv. judex 2. quæst. 8. Panorm. cap. 1. de postulat. Covarr. lib. 1. variar. cap. 1. num. 4. in fine*, quod adeò verum est, ut procedat, etiamsi postea manifestum esset judici sententiam esse injustam ex fide instrumentorum, quæ post sententiam ipsi exhibentur. Ita *Covar. ibi*, plures referens. Id etiam procedit in judice arbitro, *cap. cum olim, de arbitr.* ibique *Panorm. Sylv. Armil. Tabien. Angel. ubi supra.*

3 Nota tamen hanc conclusionem pati aliquas exceptiones. Prima est, quam dixi *dub. praced. num. 3.* Ita *Gregor. Lopez. versic. toller, & ibi* probavi. Secunda est, quando judex tulit sententiam absente altera parte: tunc enim si pars altera veniat antequam surgat judex ex tribunali, in quo sententiam tulit, & petat suas rationes audire; si quando citata fuit, dixit se nolle comparere, tunc sententia non revocatur; si verò tacuit, vel dixit se venturum, tunc sententia revocatur: at in priori casu potest appellare. Ita disponitur *l. 4. tit. 22. pag. 3.* & tenet *Gregor. Lopez. vers. toller, & eadem l. 4.* Tertia est, quando judex sententiam definitivam de re principali protulit, nulla tamen mentione facta de accessoriis, scilicet de fructibus, vel reditibus rei principalis, vel non damnavit expensis adversarium: tunc enim potest eadem die, qua sententiam tulit, & non alia die corrigere, & supplere hæc accessoria, patet *l. Paulus, la 1. ff. de re judic. & l. 3. tit. 22. part. 3.* & tenent *Sylvest.* alii, quos refert *ubi sup. Gregor. Lopez. ibi*, & notat *ibi vers. en aquel dia*, cum *Baldo* intelligi de die judiciali, in quo lata est sententia; non autem de die naturali viginti quatuor horarum, unde, si lata fuit sententia hac nocte, non potest eras corrigi. Nota etiam idem esse dicendum, scilicet posse suppleri, & corrigi eamdem sententiam eadem die, quando licet mentionem fecerit de fructibus, vel expensis, non tamen rectè de his judicavit, sed vel defecit, vel excessit in aliqua quantitate. Ita disponit *eadem l. 3.* & notat *ibi Gregor. Lopez. vers. mas, & mover*, licet aliqui, quos *ibi* refert, stando in jure communi, senserint oppositum, dicentes intelligi hanc tertiam exceptionem, quando judex nullam prorsus de fructibus, & expensis mentionem fecit. Quarta exceptio est in crimine hæresis, ut dixi *dub. praced. numero 2.* Ultima exceptio est in Rege, vel Præside summo consilii Regii, qui mutare possunt sententiam diffinitivam à se datam. Ita *d. l. 3. pratica.*

4 Tertia conclusio. Non possunt etiam judices inferiores suam diffinitivam sententiam interpretari, quando dubia esset interpretatio, quia si esset clara, & juri consona, possent. Majores autem judices possunt, ita tamen, ut non corrigant, vel mutent, sed tantùm declarent. Ita *Sylvest. ubi supra*, plures Doctores, & textus referens, ubi etiam docet cum aliis, statutarios deputatos à populo ad condendum statuta, non posse ea interpretari, sed recurrendum esse ad populum, quia illi functi sunt jam officio suo.

DUBIUM XXV.

An judex possit compellere partes ad concordiam, & compositionem.

1 SIt prima conclusio. Regulariter id non potest in civilibus, etiam Princeps ex potestate ordinaria, *l. 1. ff. de nov. oper. nunc.* Ratio quia non potest alicui jus, quod habet, interdicere. Ita aliqui, quos refert, & sequitur *Sylv. judex 1. quæst. 7. dicto 3. Angel. num. 4. Tabien. num. 2. Armil. num. 4.*

2 Secunda conclusio. Si lis esset valde longa, & difficilis, & jura partium omninò ignota sint, potest judex compellere partes ad compositionem, *cap. placuit, 90. dist.* Ita *Panorm. cap. final. de transact. Sylvest. Armil. Tabiena ubi supra.*

3 Tertia conclusio. Si verò jura alicujus partis jam essent aperta, ut quia conclusum est in causa, & sic judici constat pro qua parte sententiam ferre debeat, non potest ad compositionem partes inducere, nisi ex aliqua speciali circumstantia, ut quando adversarius, qui jus non habet, est potens, & ad appellandum paratus, & sic multùm læderet alterum, qui pauper est, & tunc creditur consultius esse ad compositionem reduci, tunc posset judex hortari ab compositionem. *Sylvest. Tabiena Armil.* Item quando esset contentio inter aliquas personas infimes, etiam in civilibus, ex qua timeretur grave scandalum, posset judex, ut reipublicæ paci consulat, ipsas ad concordiam reducere, *Perez. l. 4. ordin. tit. 8. lib. 1. pag. 1483.*

DUBIUM XXVI.

An homo teneatur ad accusandum.

1 DE hac re agit *D. Thom. 2. 2. quæst. 68. art. 1.* ubi duo fundamenta præmittit. Primum est. Hoc distat inter denunciationem evangelicam, & accusationem, quod illa ordinatur ad denunciantis emendam, & sic illi infligetur pœna aliqua, ordinaturque ad eamdem emendam; hæc verò ordinatur ab bonum commune Reipublicæ. Secundum est, accusator tenetur probare delictum, de quo accusat. Tertiò præmittendum ex *infrà* dicendis, triplicem esse viam cognoscendi crimina, & in his procedendi, scilicet denunciationis, inquisitionis, & accusationis. Ratio distinctionis est, quia aut crimen est ita secretum, ut nullo modo probari possit, & tunc proceditur per denunciationem: aut est probabile, occultum tamen, ut distinguitur contra famosum, & tunc proceditur per accusationem: aut per publicum, id est famosum, & tunc proceditur per inquisitionem: aut est notorium, & tunc indiget strepitu judicii, & de his tribus procedendi modis seorsim est agendum. Quid autem inter hos differt, dicam in capitibus de denunciatione, & inquisitione.

2 Quartò præmittendum est, *accusationem*, secundùm *D. Thom. esse delationem rei de crimine in libello ad vindictam, propter bonum commune*, id est, manifestatio criminis de homine reo facta judici secundùm ordinem juris, compellendo eum, ut puniat propter bonum commune: & quia hæc definitio propriè pertinet ad causas criminales, ideò ut omnes accusationes comprehendat, oportet addere, *vel ordinata ad instaurandum interesse accusatoris.*

3 His suppositis circa propositum dubium, quidam tenent in nullo eventu accusationem esse in præcepto. Ratio eorum est, quia cuicumque crimini per denunciationem consuli potest: ergo non oportet accusare. Ita *glossa cap. quapropter, 2. quæst. 7. vers. deferre. Angel. verb. accusatio, num. 2.*

4 Nihilominus dicendum est, quod in causa privata non tenetur quis accusare. Ratio, quia potest juri suo cedere, & remittere injuriam sibi illatam. Verùm ubi crimen in commune damnum corporale, vel spirituale redundat, & aliter perfectè remedium adhiberi non potest, quia necesse est, ut non tantùm damno obvietur, sed etiam ut reus puniatur ad arcendum alios: tunc tenetur is, qui crimen tale probare potest, accusare. Ratio, quia tenetur quisque ex charitatis lege bono communi consulere: si verò non potest sufficienter probare, non tenetur accusare, quia accusator tenetur probare crimen, de quo aliquem accusat. Ita *D. Thom. & Cajet. supra Turrecr. 2. quæst. 7. c. 1. num. 5. Armil.*

Armil. verbo accusatio, num. 6. Tabien. num. 2. Rosel. & Supplementum ibi, Sylvest. quæst. 2. Sotus libr. 5. de just. qu. 5. arc. 1. & lib. de secret. membr. 2. quæst. 5. concl. 1. & ibi Corduba, Navar. c. 23. n. 23. & cap. inter verba, corol. 60. num. 638. Simanc. lib. institut. tit. 4. num. 1. Alcoz. in summa, cap. 26. §. el accusador, & alii.

Oportet tamen hic aliqua notare.

5 Primum, quod licèt in causis propriis, & privatis non teneatur quis accusare, at potest compelli à judice propter bonum commune, ut saltem declaret coram ipso, quis eum offenderit, ut de sua depositione oriatur informatio, vel inquisitio, nisi persona offensa esset de privilegiatis ad testificandum: tunc enim cogi non posset. *Ant. Gomez. tomo 3. variar. cap. 12. n. 24.*

6 Secundum est, quod *Bart. l. in eum, de accuf.* asserit posse judicem in casu homicidii compellere offensam partem, ut accuset: quod tamen *Navarr. d. num. 638.* dicit communiter reprobari, at verum tenere, ubi homicida esset nimis Reipublicæ perniciosus, & delictum probari posset.

7 Tertium est, non teneri quempiam juridicè denunciare ad recuperandum damna, quæ accepit, nisi esset adeò pauper, ut non posset familiam suam alere, nisi bona illa ratione injuriæ sibi debita recuperaret. Ita *Sotus d. membr. 5. q. 5. ver. & confirmatur*, post secundam conclusionem. *Navarr. d. corol. 60. n. 640.* & docti juniores.

DUBIUM XXVII.

An accusationem debeat necessariò præcedere secreta monitio, id est an accusans teneatur priùs corrigere reum, ut si corrigatur, cesset ab accusatione.

1 QUadruplex est sententia.

Prima tenet non necessariò debere præcedere monitionem. Ratio, quia accusatio non ordinatur præcipuè ad peccatoris emendam, sed ad punitionem propter bonum commune. Ita tenent *Angel. verbo accusatio, num. 1. Armil. num. 3. Tabien. num. 1. Abul. cap. 18. Matth. qu. 97. ad 6. glossa c. licèt Heli, de simon., verb. inscriptio, Palud. 4. dist. 19. qu. 4. vers. ad argumentum. Turrecr. c. si pervenerit, 2. qu. 1. num. 30. ad 5. Navarr. cap. inter verba, corol. 6. n. 640. Adrian. 4. quæst. de correct. §. ad argumentum antea positum, in solutione ad 2. Sotus lib. de secret. memb. 2. quæst. 5.* post quartam conclusionem, *& Cordub. circa eamdem conclusionem, & D. Thom. 4. dist. 19. quæst. 2. art. 3. quæstiuncula 1. ad 4. Navar. lib. 2. de restit. c. 4. à num. 254.* dubitat, & saltem dicit non peccare contra justitiam, benè tamen contra charitatem.

2 Secunda sententia tenet, prærequiri monitionem in foro conscientiæ, ubi spes emendæ esset, & non esset periculum in mora. Ratio, quia lex charitatis poscit, ut quàm minimo dispendio fieri possit, damnis occurramus: ergo contra charitatem erit accusare, ubi per viam faciliorem, ex qua non tantum damnum proximus patitur damno communi occurri potest. Ita *Sylv. verbo accusatio, qu. 3. Durand. 4. dist. 19. qu. 4. ad 1.*

3 Tertia sententia tenet, quod ubi est præceptum de accusatione, non prærequiritur monitio: at ubi non est præceptum, sed tantum potest quis accusare, vel non, tunc tenetur præmittere secretam monitionem, si spes emendæ sit. Ita *Cajet. supra, q. 33. art. 7. ad 3.*

4 Ultima sententia media est, & tenenda, & explicabitur aliquibus conclusionibus.

Prima conclusio. Quando accusatio fit ab homine in causa propria privata ad recompensationem injuriæ acceptæ per pœnam reo inferendam, non est necesse præcedere monitionem. Ratio, quia talis accusatio non ordinatur ad delinquentis emendam, sed ad satisfactionem damni, & injuriæ, propter commune bonum, & in hoc deficit secunda, & tertia opinio, quia hæc est vera accusatio, & non est in præcepto, & tamen non requiri monitionem. Ita tenent Doctores primæ sententiæ, *Sotus lib. 5. de justit. qu. 5. art. 1. dub. 2. Navar. supra*, & Docti recentiores Magistri.

5 Secunda conclusio. Quando crimen esset publicum, & judex præciperet tale crimen accusare, non est necessaria admonitio. Ratio, quia ibi quæritur per accusationem, ut Reipublicæ fiat satisfactio, cui illata est per scandalum injuria, & in hoc consentimus cum prima & tertia opinione, nec secunda contradicit, quia ipse *Sylvest. ibi qu. 9. cum Innocent. & glossa* quadam, quam refert, docent hujusmodi crimina, licèt emendata sint, licere accusare, & probat ratione dicta, & ita docti juniores.

6 Tertia conclusio. Ubi crimen esset occultum, id est non publicum, & non prosequeretur quis causam propriam, sed alienam boni communis, ut quia crimen est Reipublicæ perniciosum, tunc si quis certissimus est per suam monitionem profuturum, omninò tenetur illam præmittere: si verò non omninò certus esset, teneretur statim denunciare, vel accusare. Conclusio patebit ex *infrà* dicendis, *c. de denunciatione*. Sed probatur prima pars, in qua discrepamus à prima sententia, & illam tenent Doctores secundæ, & tertiæ, & *Sotus loco proximè citato*, quia ille reus adhuc habet possessionem honoris, & famæ, & per solam monitionem potest damnis occurri; & addunt multi juniores docti, teneri ad restitutionem, si denunciat, quia peccat contra institutum.

DUBIUM XXVIII.

An sit licitum accusare delictum, quod quis sufficienter probare non potest, & an semel accusatum liceat iterum accusare.

1 SIt prima conclusio. In causa criminali, qui propriè accusat aliquem ad punitionem, si non est certus de crimine, vel habet testes, quibus legitimè probare possit, peccat mortaliter. Ratio, quia injuriam infert reo, ejus famam injustè lædens, & se exponit periculo talionis pœnæ. *D. Ant. 2. p. tit. 1. cap. 19. §. 5.*

2 Secunda conclusio. Regulariter non licet accusatum de aliquo delicto, iterum de eodem delicto accusare, nisi illud iteret; in aliquibus tamen casibus licet, quos vide in *Sylv. verbo Accusatio, quæst. 10.* ubi ex aliquibus legibus duos colligit casus, qui excipiuntur. Primus est, ubi secundus accusator doceret primum prævaricasse. Secundus, si suum dolorem prosequens, ignorat accusationem institutam ab alio.

DUBIUM XXIX.

An pactum, vel juramentum de non accusando valeat.

1 QUidam dicunt, quod respectu peccati præteriti jam commissi valet, & sic qui tale pactum, vel juramentum fecit, tenetur non accusare: at respectu peccati futuri & perpetrandi nihil valet, nec obligat. Ratio differentiæ, quia quando est de peccato præterito, non ansa delinquendi, sic autem quando est de peccato futuro. Ita *glossa. c. quemadmodum, de jurejur. Angelus verb. accusatio, num. 6.*

2 Alii tenent juramentum tale valere, sive sit de peccato præterito, sive de futuro, quando est non in causa criminali, sed in civili: at pactum sine juramento, nec in causa criminali, nec in civili de delicto perpetrando valet. Ita *Panorm. d. cap. quemadmodum.* Sit tamen

3 Prima conclusio. Quando accusatio est in præcepto, vel in consilio, quia est promotiva majoris boni, vel servitii Dei, tunc juramentum de non accusando nil valet, sive peccatum sit perpetratum, sive perpetrandum; licèt enim hoc frequentiùs inventatur in peccato futuro: at potest etiam reperiri in præterito, ut si non sit emendatum, vel pendet in futurum alicujus damnum. Ratio, quia juramentum de non adimplendo præcepto vel consilio nullum est, Ita *Sylv. verb. accusatio, qu. 6.* & aliqui docte recentiores.

4 Secunda conclusio. Quando non est debita ex præcepto, nec ex consilio, sed est in recompensam propriæ injuriæ, vel alterius, vel in ordine ad ipsum accusatorem rei pertinentis, vel ordinata ad commodum temporale, vel accuratio talis in ordine ad animam est indifferens, tunc valet pactum, vel juramentum, quia non est contra bonos mores, nec majoris boni impeditivum. *Sylv.* licèt non expressè, sed ex ejus doctrina, *ibid.* colligitur. Ita nonnulli recentiores Magistri.

DUBIUM XXX.

Qui prohibeantur accusare, & qui non.

1 PRima conclusio. Quando crimen est privatum, & nulla pœna debetur fisco, tunc illi tantùm accusare possunt, ad quos illa injuria pertinet; quando verò debetur fisco pœna aliqua, quia redditur quodammodo causa publica, potest quilibet de populo accusare. Ita tenent plures Jurisperiti, quos refert, & sequitur *Sylv. verbo accusatio, qu. 4.*

2 Secunda conclusio. Si delictum sit contra rempublicam, & bonum commune, tunc potest quilibet accusare, demptis illis, quibus specialiter lege, vel statuto, vel consuetudine prohibetur accusare, ut sunt infames, excommunicati, & aliæ personæ secundùm jus inhabiles ad accusandum, propter ætatem, sexum, & conditionem. Ratio, quia accusator est actor, & ideò debet habere auctoritatem, & qualitates ad accusandum, *l. qui accusat, ff. de accusat. D. Thom. 2. 2. quæst. 68. artic. 1. ad 1. Sotus de sigillo, membr. 2. quæst. 5. vers. sed dubium est, & lib. 5. de just. quæst. 5. art. 1. Sylv. ubi supra.* Nota tamen tales benè posse, & teneri ad denunciandum. Ita *Sotus, & Cajet. ibi*, & latiùs de hoc dicam *infrà, cap. de denunciatione.* Item nota illas personas posse in causa propria, vel suorum accusare,

te, *l. fin. ff. de privat. delict.* Item quando delictum est contra aliquam legem, vel divinam, vel humanam, cujus violatio non est in injuriam tertiæ personæ, tunc quilibet, etiam infamis, & excommunicatus, &c. potest accusare; ut si qui noctu contra legem incedat armatus, vel præter horam, vel pejeret, vel blasphemet: sic notant plures, quos refert & sequitur *Sylv. ibi.*

3 Tertia conclusio. Clerici in causa sanguinis accusare non possunt, benè tamen denunciare, quando delictum est contra ipsos, vel rempublicam, vel in damnum tertii pendens in futurum. Hæc secunda pars probabitur *cap. sequenti, de denunciatione.* Prima verò probatur: id enim non decet Clericos propter honestatem, & mansuetudinem, quam genentur repræsentare, *cap. his quibus*, 2. *qu.* 8. *cap. clerici, & cap. sententiam, ner clerici, vel monachi.* Unde prohibitio hæc est de jure humano, in quo ex causa posset Papa dispensare. Ita *Sotus membr.* 2. *quæst.* 5. *versf. ex hac conclusione, & lib.* 5. *de just. quæst.* 5. *art.* 1. *in fine*, unde dum *Sylvest. ubi suprà*, dicit licere clericis in his causis accusare, nomine accusationis denunciationem juridicam intelligit. In aliis tamen causis, quæ non sunt sanguinis, benè possunt clerici propriè acculare in propriis injuriis, non tamen in aliorum injuriis!, nisi necessitate juris naturalis urgente, ne rebus odiosis se immisceant, *ex capite sicut sacerdos*, 2. *q.* 7.

4 Quarta conclusio. Laici non possunt accusare clericos, nisi in aliquibus criminibus, ut hæresi, læsæ, majestatis, sacrilegio, simonia. *Sylvest. verbo crimen, q.* 3.

5 Ultima conclusio. Subditi prohibentur accusare Prælatos, & servi dominos, *2. 2. quæstione 7. per totam*, sed intelligitur ex odio, secus si ex charitate. Ita *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *ad* 1. *Sotus membr.* 2. *quæst.* 5. *versf. notandum.*

6 Nota tamen ex *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 2. non oportere denunciationem fieri in scriptis, benè tamen accusationem, Quod intelligitur regulariter; nam in criminibus levibus, & notoriis non oportet, ut fiat accusatio in scriptis, *l. levia, ff. de accusat.* consule *D. Thom.* 2. 2. *q.* 68. *art.* 3. & 4. ubi alia, & *Sotum lib. de secret. membr.* 2. *qu.* 5. & *lib.* 5. *de just. quæst.* 5. *art.* 2. 2. & 4. tantùm esset hic disputandum an accusato liceat offerre aliquid accusatori, ut desistat ab accusatione, & huic liceat desistere, sed de hoc *infra, cap. de reo.*

CAPUT II.

De denunciatione.

SUMMARIUM.

Dub. 1. *Quibus casibus obliget ex præcepto correctio fraterna.*
2 *Qua sit materia, de qua teneamur corrigere.*
3 *An sit peccatum omittere correctionem timore mortis, vel alio justo,*
4 *An persona privata, vel saltem Prælati teneantur inquirere peccata, quæ corrigant.*
5 *An secreta monitio debeat precedere denunciationem.*
6 *An quando crimen est occultum, & tantùm in peccantis damnum, & secreta monitio non prodest, teneamur ultrà procedere ad testes adhibendum, & tandem ad denunciandum.*
7 *An sit necessarium priùs adhibere unum testem, quàm duos? & an possint plures quàm duo adhiberi, & an testes debeant esse ex his, qui aliàs norunt crimen fratris.*
8 *An quando homo dubitat, an sua monitio, vel denunciatio sit profutura, excusetur à correctione, & denunciatione.*
9 *An omnes teneantur ad denunciationem faciendam, vel aliqui excusentur.*
10 *An clerici teneantur ad prædictam denunciationem faciendam, etiam in causa sanguinis.*
11 *An Prælatus, vel judex possit punire hominem, de quo denunciatum est aliquod crimen.*
12 *An quando judex procedit ad denunciati punitionem, possit eum punire integra legis pœna.*
13 *An denunciator possit esse testis contra delinquentem, ut sic procedatur ad punitionem.*
14 *An quando judex, vel Prælatus præcipit denunciare delicta, sit priùs facienda secreta monitio.*
15 *An peccata præterita jam emendata sint denunciandæ ad mandatum superioris.*
16 *An crimina non visa, sed tantùm audita, sit denunciandæ.*
17 *An sit denunciandum Prælato, qui creditur nullum remedium adhibiturus.*
18 *An aliqua persona propter privilegium juris excusentur à denunciando ad mandatum judicis, vel à testificando, si judex eas specialiter voceat, ut testimonium ferant? & an qui ob defectum aliquem sunt facti inhabiles ad testificandum, teneantur renunciare ad mandatum judicis.*
19 *An filius teneatur patrem hæreticum denunciare Inquisitoribus, & comprehendatur sub edictis talem denunciationem jubentibus.*
20 *An teneantur illi denunciare ad edicta, vel testificari, si judex interroget quibus delictum pro consilio, vel remediis capiendo, vel sub sigillo secreti detectum est.*
21 *An qui juravit non denunciare, vel non ferre testimonium, teneatur respondere ad edicta, vel jussus à Prælato testificari.*
22 *An propter damnum, quod denunciatori, vel reo denunciato sequitur, excusetur quis à denunciando, vel testificando.*
23 *Quæ sint causa in summa, ob quas quis excusetur à mandatis de denunciandis criminibus.*
24 *Quæ causæ excusent à denunciatione facienda de rebus furtivis.*
25 *Quantum temporis duret delictum superioris cum vi obligandi ad denunciandum, & similiter littera excommunicatoria, qua promulgantur ad partis petitionem, ut sibi aliquid restituatur.*
26 *An errent judices præcipiendo generaliter in edictis malefactores denunciari.*
27 *Quod sit discrimen inter eum, qui respondet ad edicta ut testis, & inter eum, qui ut denunciator.*

PROEMIUM.

ANtequam ad dubia desteniamus, aliqua supponenda sunt fundamenta.

Primum, quid sit denunciatio, est enim manifestatio criminis facta superiori, ut remedium, aut correctionem, aut pœnam ex officio adhibeat: & differt ab accusatione, quia per accusationem petitur punitio, ac vindicta delinquentis, & ad ipsam præstandam compellitur, & obligatur judex ab ipso accusatore: per denunciationem verò nil à judice petitur, sed illius arbitrio, & officio relinquitur, ut faciat quod debet, & viderit expedire.

2 Secundum fundamentum. Denunciatio est triplex: Evangelica, Judicialis, & Canonica. Evangelica est illa, quæ fit superiori, ad correctionem, & emendam ipsius peccatoris ordinata, itaut hoc sit principalis finis, & formale objectum, quod intendit, qui denunciat, & cui denunciatur, & de hac dicitur, quod sit superiori, non tamquam judici, sed tamquam patri, & privatæ personæ, id est, non ut exequatur partes judicis, quæ sunt judicare, & punire; sed partes, quas exequitur pater, & quilibet proximus, quæ sunt corrigere. Judicialis est illa manifestatio criminis, quæ fit judici de aliquo peccatore ordinata ad satisfactionem, & recompensam, id est, ut ipse peccator satisfaciat, & solvat, quod debet, sive id, quod debet, sit damnum, & interesse alicujus personæ particularis, sive sit aliqua pœna, vel mulcta, quæ fisco debetur, & ideo ista denuncatio aliquando est publica, id est, quæ fit ab officiali publico ad solvendam aliquam pecuniam publicam, quæ ex lege debetur. At quando est privata, id est, quæ fit à persona privata, ad satisfactionem privati damni, & debiti, hæc denunciatio dicitur judicialis, quia fit secundùm formam juris, & cum solemnitate juris, scilicet in scriptis, & cum probatione facta ab ipso denunciante, quamvis non sit hoc necessarium, quia etiam de plano, & sine juris forma fieri potest. Et licèt hæc denunciatio sit accusationi similis, & sæpè sub accusationis nomine intelligatur: at verè differt ab accusatione propriè dicta, quia accusatio ordinatur ad punitionem, & vindictam publicam; & accusator, qui & actor est, tenetur probare sub talionis pœna. In denunciatione verò judiciali non sic est, quia licèt fiat judici ut personæ publicæ, & aliquando ordinetur ad punitionem, id tamen fit à judice ex officio. Denunciatio canonica est illa, quæ fit superiori ad impediendum mala, & damna, quæ ex peccato procedunt, sive sint in perniciem publicam, sive in damnum tertiæ personæ. Itaque finis, & objectum illius denunciationis est impedire, & reprimere mala, & incommoda aliorum, ut per judicem reprimantur. Dicitur canonica, quia jure canonico est inventa, cujus est omnibus peccatis, & damnis animarum remedium adhibere: differt autem à judiciali, quia illa ordinatur ad commodum, & interesse ipsius denunciantis, canonica verò ad evitandum damna.

3 Tertium fundamentum. Circa ista, quæ de triplici denunciatione dicta sunt, advertenda sunt aliqua. Primum, quod licèt alia sint denunciationum genera apud auctores, at omnia reducuntur ad ista. Item licèt dicatur nullam istarum denunciationum ordinari ad punitionem, & vindictam publicam, sicut accusationem, intelligitur quoad id, quod per se intendit, & ex natura sua denunciatio ordinatur: nam per accidens propter denunciati incorrigibilitatem, aut propter mali gravitatem, quod nequit aliter impediri, & propter alias causas, quæ possunt insurgere, benè potest ex denunciatione sequi, ut denunciatus puniatur, vel procedatur ad vindictam publicam, vel etiamsi per se ordinetur ad punitionem propter bonum publicum, ut aliquando fit, adhuc differt ab accusatione, quia denunciator non petit talem vindictam, sed relinquit judicis arbitrio, ut agat ex officio. Item nota, quod licèt ista tria denunciationum genera sint distincta, aliquando tamen possunt coincidere, ita ut eadem sit evan-

evangelica ad emendam, & canonica ad vitandum damna, quia potest contingere, ut debeat homo duos, vel tres fines intendere, tamen verè differunt, & est diversa forma in illis servanda, & diversa obligatio, ex *Innocentio, c. novit, de judic.* & Doctoribus juris *ibi, D. Anton.* 3. *p. titul.* 9. *cap.* 9. *Sylvest. verb. denunciatio*, §. 5. *Soto de sigillo, membr.* 2. *qu.* 5. & *de just. lib.* 5. *qu.* 5. *art.* 1. & *quæst.* 6. *art.* 2.

DUBIUM I.

Quibus casibus obliget ex præcepto correctio fraterna.

1 QUia acturi sumus de denunciatione, ad cujus plenam intelligentiam oportet scire materiam de correctione, ideo puncta hujus materiæ difficiliora præmittenda sunt. De correctione, & denunciatione agunt Doctores 4. *dist.* 19. ubi *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 33. & expositores sacræ scripturæ, *Matth.* 18. *Jurisperiti c. novit, de judic. & cap. si peccaverit*, 2. *quæst.* 1. *Summista verbo correctio, & verbo denunciatio, Sotus membr.* 2. *de tegendo secreto, Navar. cap.* 24. & in aliis locis citandis.

2 Nota certum esse apud Auctores, quod ad correctionem omnes erga quemlibet peccato mortali affectum tenentur sub mortali, aliquibus concurrentibus conditionibus de præcepto naturali, & divino, quia est opus misericordiæ, & maximè necessarium, & ad succurrendum maximæ necessitati, scilicet spirituali animæ, quæ necessitas corrigendi peccatorem, licèt quando peccatum procedit ex malitia, & passione, non sit tam urgens ut in plurimum, sicut necessitas succurrendi corporibus penuria, & fame periclitantibus: at quando peccatum procedit ex ignorantia, longè major est correctionis necessitas. Quod sit de jure divino, patet *Matth.* 18. Quod sit de jure naturæ, patet; lex naturæ docet omnia, quæcumque fieri nobis volumus, alteri facienda, sed juxta naturalem, & rectam rationem debent homines, quando erant, velle doceri, & ab aliis in spiritualibus sibi opem ferri, quod maximè correctio præstat: ergo.

3 Secundò nota tres oportere ut assistant conditiones, ut præceptum hoc adstringat.

Prima est certa peccati cognitio. Hæc est contra *Adrianum* 4. *mat. de correct.* §. *sed hæc opinio*; ubi inquit, etiam cùm est probabile dubium, an proximus peccato adhæreat, esse præceptum de correctione: nam ad eleemosynam corporalem non tantùm teneor, cùm proximum extremè indigere certò novi, sed dum probabiliter dubito. Sed verius est oppositum, quia in corporibus nullum est periculum, si eleemosyna non indigenti erogetur: at in spiritualibus nocet proximo, qui leviter, & temerè judicans eum esse in peccato, ipsum arguit. Ita tenent *Sotus membr.* 2. *quæst.* 2. *concl.* 4. *Navarr. c.* 24. *Latinè num.* 12. *Hisp. n.* 17. *Gabriel super can. lect.* 74. *litera C, Viguer. lib. instit. c.* 12. §. 2. *versf.* 7. *Flores materia de correct. dub.* 1. Hinc

4 Infertur, scientem per auditum, vel per rumorem, vel per signa dubia crimen fratris, non teneri corrigere, quia non certò scit. Ita *Viguer.* notat tamen *Sotus* pensandas conjecturas facientes rem probabilem, & conditiones personarum; atque ita aliquando licere insinuare fratri crimina sua, de quibus rumor spargitur, dummodo fiat cum prudentia.

5 Secunda conditio, opportunitas ex parte personæ, & temporis; ex parte personæ (inquam) ut non sit alius qui commodiùs corrigere possit, possit (inquam) de potentia proxima; nam licèt norint alios adesse, qui meliùs id præstare valeant, ut est Prælatus, vel Doctor, at si video negligentes esse, teneor corrigere, sicut si alii potentiores ad subveniendum extremè indigenti id negligant, teneor subvenire. Ita *Sotus ubi suprà, versf. tertia, & postrema, Palud.* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 3. *art.* 2. *Adrian. ubi suprà*, §. *sed hæc opinio, Navarr. c. inter verba, corol.* 59. *num.* 626. *Tabiena verb. correctio, n.* 6. *Nav. n summ. c.* 24. *Latinè num.* 12. *Hisp. n.* 17. *Turrecr.* 2. *q.* 1. *c. si peccaverit, n.* 13. *Gabriel ubi suprà, litera E, Richard.* 4. *dist.* 19. *art.* 1. *q.* 1.

6 Opportunitas ex parte temporis; oportet enim correctionem fieri tempore opportuno, si enim hominem recenti injuria affectum sedare velis, importunum tempus est. Item qui correctionem differt, eo quod tempus opportunius ad id fore spectat, rectè agit, ut decet *D. August.* 1. *de civit. Dei, c.* 9. *Abul. c.* 18. *Matth. q.* 95. *ad* 3. *Turrecr. Tab. ubi suprà, Armil. verbo correctio, num.* 3. *D. Ant.* 2. *p. tit.* 9. *c.* 6. §. 2. *Durand.* 4. *dist.* 19. *q.* 3. *art.* 3. *Gabr. ubi sup. Alens. lib.* 2. *tit.* 6. *c.* 4. Sed nota hoc esse intelligendum, quando non timetur novum mortale, vel quando speratur plenus fructus totalis emendæ, qualis ex præsenti correctione non sperabatur. Ita *Corduba super membr.* 2. *q.* 2. *concl.* 3. *Soti*; nam si tunc est tempus opportunum, & non speratur major correctio in alio tempore, immò continuabit peccatum illud per novum peccatum, vel aliud peccatum contrahet, non potest licitè ejus correctio differri ad tempus opportunius, vel ut alius meliùs corrigat, ut docet *ibi Corduba, & Adrian. ubi suprà.*

7 Hinc colligitur, licere mihi aliquando permittere peccatorem in majora labi crimina (non quidem in aliorum peccatorum pœnam; quia non pertinent ad judicium humanum puniri illa via) sed ut cautiùs resurgat: nam cùm correctio sit propter fratris emendam, eo modo facienda est, quò potiùs ad eum finem conducat. Ita *Sotus ubi suprà*, paulo ante quintam conclusionem. *Navarr. cap.* 24. *Latin. num.* 13. *Hisp. num.* 19. & *c. inter verba, coroll.* 59. *num.* 629. unde infert, licere permittere pueris furta minutiora, ut propter illa pœnas dantes à gravioribus caveant.

Ultima conditio est, modò sit spes emendæ: circa hanc est disputanda gravis quæstio, de qua *infrà.*

DUBIUM II.

Quæ sit materia, de qua teneamur corrigere.

DE hac re duplex est sententia.

1 Prima dicit solùm esse peccatum mortale: at verò corrigere de venialibus, esse consilium. Ratio, quia Christus jubet denunciari Ecclesiæ: at hoc non procedit in venialibus: ergo, Ita *Palac.* super illud *Matth.* 18. *si peccaverit in te, Abul. ibi, quæst.* 82. *Palud. qu.* 3. *art.* 2.

2 Secunda sententia tenet oppositum. Sit pro resolutione.

3 Prima conclusio. Peccatum etiam mortale omninò præteritum non est materia necessaria correctionis, sed peccatum mortale quodammodo pendens in futurum, ita scilicet, ut maneat aut pertinacia, aut periculum iterum peccandi. Probatur, quia cessante fine, cessat necessitas medii: ergo cùm finis correctionis sit fratris emenda, ubi emendatus est, non est necessaria. Ita glossa *c. si peccaverit*, 2. *qu.* 1. *Sotus membr.* 2. *qu.* 2. *concl.* 2. *Corduba in annotatione super istam quæstionem, & conclusionem, Sylvest. verbo denunciatio, qu.* 1. *Angel. ibi, numer.* 1. & *verbo correctio, num.* 1. *Tabiena verb. correctio, num.* 6. *Abul. cap.* 18. *Matth. qu.* 83. ubi optimè notat, quod licèt peccatum præteritum maneat reatu, scilicet quia de illo delinquens non doluit, non est materia necessaria correctionis, sed tantùm de consilio, nisi actu maneat peccatum, sive per frequentationem, sive per continuationem ejusdem actus, vel propter periculum recidivi. Ratio, quia ad hoc, ut quis alterum corrigat, oportet ejus peccatum norit; sed quando tantùm manet peccatum quoad reatum, solus delinquens novit; potest enim esse, ut in corde doluerit.

4 Secunda conclusio. Non tantùm teneor corrigere quando peccatum procedit ex ignorantia, vel passione; sed etiam quando procedit ex malitia, teneor sub mortali corrigere, si citra grave damnum possum. Patet, nam eleemosyna corporalis obligat etiam in gravi necessitate, dum quis habet superfluum, sed dum proximus peccat ex malitia, gravi necessitate laborat, quia difficilè absque correctione emendatur, & alter censetur habere superfluum, siquidem sine gravi detrimento potest opem ferre corrigendo: ergo. Ita *Sotus ubi supra concl.* 8. quamvis contrarium teneat *Navarr. cap.* 28. *addit. ad num.* 17. *cap.* 24. sed in *Lat. eodem c. num.* 13. ubi illam addtionem intexit, id sustulit.

5 Tertia conclusio. Quando peccatum procedit ex ignorantia probabili, quæ peccatum excusavit, non teneor corrigere, quia nulla interfuit culpa, v. g. si videam Petrum omittere sacrum in die festo, putantem non esse festum, vel edere carnes die Veneris ex oblivione. Ita *Angel. verbo Correctio, num.* 6. *Navarr. addit. citata*, ubi addit, me non teneri admonere esse festum, vel diem Veneris, nisi sim ejus pastor, quia ignorantia hæc nen est juris, sed facti, cujus liberatione nec extremè, nec graviter eget. Vide, quæ de hac re latè dixi *lib.* 2. *de matrim. disp.* 18. *à num.* 2. *ad* 10.

6 Quarta conclusio. Probabilius est esse peccatum mortale non corrigere veniale, quando illud contrahens periculo probabili exponitur peccandi mortaliter: at cætera venialia non corrigere non est peccatum in personis privatis. Patet prima pars, ut si videam aliquem colloquentem cum fœmina, vel ingredientem domum suspectam, itaut venialiter delinquat, si ego credam esse periculum probabile, ut ille mortaliter delinquat: nam in corporalibus non tantùm teneor subvenire ei, qui in foveam lapsus est, sed si videam ipsum lapsurum in foveam, ni per eram, teneor sub mortali subvenire: ergo *Sotus ubi suprà concl.* 3. *Gabr. super can. lect.* 74. *litera E. Turrecr. c. si peccaverit*, 1. *qu.* 1. *num.* 17. *Sylvest. verbo Correctio, qu.* 1. *Armill. ibi, num.* 3. *Angel. n.* 1. *D. Anton.* 2. *p. tit.* 9. *c.* 6. §. 2. *Viguer. lib. instit. c.* 12. §. 3. *versf.* 6. *Navarr. c.* 24. *Lat. num.* 12. *Hisp. n.* 17. & hoc non tantùm est verum, quando veniale de se est periculosus lapsus in mortale, sed etiam quando tale periculum imminet ex multiplicatione venialium. Ita *Turrecr. Viguer. D. Ant. Gabr.*

7 Quinta conclusio. Peccatum veniale est non corrigere consuetudinem contrahendi venialia non periculosa, ut levia mendacia, &c. Ratio, quia hæc venialia sunt aliqualis fratris